

ba syllaba. Nam dissoluta syllaba, b & a supersunt, ba syllaba non superest. quo fit vt forma syllabe diuersa sit ab elemētis. Nam si eadem essent, proposito etiam a, & postposito b, illud a b rursus esset ba syllaba, at non est. non est igitur idem materia & forma. Pari ratione neq; terra & ignis idē sunt quod caro & carnis forma. Dissoluta enim carne, ignis & terra supersunt, caro non item. Ex his ergo aperte intelligitur non solum vocalem, hoc est a, & consonantem b esse, siue non modo ignem & terram esse, sed etiam aliquid præter ipsa, syllabam videlicet & carnē. Sic igitur foelicissime demonstrato, formam & a materia diuersam, & aliquid esse, eandem docet principium esse atque causam. elementum autem, inquit, non est forma. forma igitur necesse est vt elementum sit, vel ex elementis. Si quis ergo formam exempli gratia carnis elementum esse dicat, cum forma, vt demonstratum est, sit mouens materiam, & efficiens id quod est, si caro sit elementum, haud dubie mouebitur ipsa cum igne qui itidem elemētum est, ab aliqua forma, & ex ipsis vnū efficitur. Illa igitur forma a qua ipsa mota fuerunt, est ne elementum, an ex elemētis? Si elementum, cum & ipsa, & caro & ignis elementum sit, rursus ab alia forma mouebuntur, & fient vnū. Tum illa forma est elementum, an ex elementis? & hoc sine fine progredietur. (Ex hoc igitur, inquit) id est, ex eo quod motum est, & ex igne ac terra caro constabit. rursus ex illo & carne, aut quopiam alio consistet aliud. vt intelligatur formam haud dubie non esse elemētū. At si formam dicas ex elemētis cōstare, cum id quod ex elementis consistit, non simplex sit, sed compositum, non ex vno, sed ex pluribus constabit quā illud. illud enim vnū est. itaq; præter illud sunt ea ex quibus constat. at quæ præter vnū sunt, vel sunt duo, vel tria, vel alius numerus quispiam. quare si constat ex elementis, cum id quod ex elementis cōsistit, ab aliquo fiat: id quod est, nimirum quod fecit ipsum, non erit elementum. Demonstratum est enim formam esse efficientem, forma autem non est elementum. nam & hoc iam est demonstratū. Si ergo illud sit ex elementis, rursus id quod illud efficit, ex elementis consistit, & hoc in infinitum. quod autem de carne dictum est, hoc ad syllabam & alia cuncta accommodari potest. Forma igitur neq; elementum est, neq; consistit ex elementis. Hoc itaq; quod materiam mouet, & carnem ac syllabam facit, aliquid est: hoc autem est forma, & cuiusq; substantia. hæc enim prima causa est, vt res id sint, quod sunt. Ergo demonstrato formam neq; elementum esse, neq; ex elementis, concludit, dicens: cum autem, inquit, quædam rerum non substantiæ sint, album enim quod in homine habetur, non est hominis substantia, sed ea sint rerum substantiæ, quæ secundum naturam, & a natura, & ad quiditatem ipsis conferunt, haud dubie natura hæc, id est forma, substantia est, quæ non est elementum, sed principium. Est autem elementum, id in quod, cum insit quasi materia, res diuiditur. Habemus igitur quod ex illo inuestigabamus. hoc autem erat, quænam substantiarum sint causæ. has enim formas esse comperimus.

Forma, nec
elemētum
est, nec ex
elementis
consistit.

Libri Sexti finis, qui Latinis est Septimus.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI
IN LIB. SEPTIMUM PRIMAE PHILO-
sophiæ, Latinis Octauum.



His igitur quæ dicta sunt, ratiocinemur, summaque collecta finē ponamus oportet. Dictum est itaq; substantiarum causas principia elementave quæri. Substantiarum autem aliæ ab omnibus in ratione rerum esse conceduntur, aliæ allatæ a quibusdam propria opinione fuere. Et primæ quidem naturales substantiæ sunt, ignis inquam, terra, cæteraq; simplicia corpora, deinde plantæ, partesque ipsarum, & animalia, atq; animalium partes, & tandē cælum, cælique partes. Secundæ vero formæ & mathematica ipsa. Alias præterea ex rationibus accidit substantias esse, quiditatem inquam, atq; ipsum subiectum. Et insuper alio modo genus magis quàm species, & vniuersale magis quàm singularia substantiam esse. Vniuersalis autem atq; generis & ipsæ ideæ cōditionem subeunt. Eadem enim ratione substantiæ esse vidētur. At cum quiditas substantia sit, huius vero ratio sit definitio, de definitione propterea, & de eo quod est per se, definiuimus. Cum definitio insuper sit ratio, ratio vero partes habeat, de parte etiam necessarium erat videre, quæ sunt substantiæ & quæ non sunt substantiæ partes, & si eadem & definitionis sint partes. Præterea neq; vniuersale substantia est, neq; genus. Ac de ideis quidem ac mathematicis posterius cō-

siderare oportet. Præter enim sensibiles substantias hæc quidem inquirunt esse. Nunc autem de hisce substantiis pertractemus, quas omnes esse fatentur. eæ vero sunt sensibiles ipsæ substantiæ: quas quidem materiam vniuersas habere constat. Est autem ipsum subiectum substantia, alio quidem modo ipsa materies. atque materiam eam dico, quæ non actu hoc aliquid, sed potentia est. Alio vero modo ratio atque forma: quod quidem est aliquid, atque separabile ratione. Tertium autem est id, quod ex hisce constat, cuius generatio solius est, atque corruptio, quodque simpliciter est separabile. Substantiarum enim earum quæ ad rationem accommodantur, quædam separantur, quædam non separantur.



Væ tum in superiore, tum in tertio abhinc libro differuerat, ea non quidem omnia (hoc enim esset eadem rursus disputare) sed tamen potissima quæque (nam hæc summam appellauit) repetit, atque in pauca colligit, & cuius causa dicta ea sunt, exponit. Ex his ergo, inquit, ratiocinemur oportet. quid autem ratiocinari significet, declarat dicens, & collecta summa, id est, potissimis quibusque collectis finem imponamus. Apposite vero hic finem appellauit, proximo libro de potentia & actu & cæteris de quibus differere instituit, facturum initium. Dicta igitur in capita colligit, dicens. (Dictum est itaque substantiarum causas & principia elementaque quæri.) formas appellans causas, efficiens autem & finem principia, materiam vero elementa. Sed de substantiarum, inquit, quibusdam, omnibus conuenit: de alijs nonnulli priuatas habuerunt opiniones. hæc vero quæ sint, deinceps commemorat, cœli vocabulo vniuersum mundum appellans, partium vero globos & ignem, terramque & animalia. aut certe corpus omne circumlatum vocat cœlum, partes autem, huic affixas stellas. Quæ porro a quibusdam, id est a Platonicis priuatim asserantur, exponit, ideas scilicet & mathematica. (Sed alias, inquit, præterea ex rationibus accidit substantias esse, id est quiditatem atque subiectum) materiam appellans subiectum. Neque vero non recte dixit (ex rationibus) Ratio enim formam a materia seiungit. ipsa enim per se actu absque materia esse non potest. Et insuper, inquit, alio modo efficitur ut genus magis quam species substantia sit, & vniuersale, quam singula. Sed hoc non dicit ex animi sui sententia. ipse enim supra demonstrauit genera & species, ac omnino vniuersalia non esse substantias, sed particularium similitudines, ac omnino qualia. non igitur hoc quasi placitum suum asserens dixit, sed quasi diceret, præterea aliter fit ut genera magis quam species substantiæ sint, per eos qui hoc opinantur. Non dixisse autem hoc ex animi sui sententia, sed ut concedentem, propterea quod nondum priuatim demonstrauit non esse ideas, demonstraturus in libro duodecimo, satis intelligi potest ex verbis illis paulo post subiectis (præterea neque vniuersale substantia est, nec genus.) Sed postquam dixit, (& insuper alio modo genus magis quam species, & vniuersale magis quam singularia substantiæ esse.) suggerit (vniuersali autem atque generi, ipsæ ideæ coniunguntur.) estque puncto distinguendum post illud generi. est autem sensus. ideæ coniunguntur, id est, communicant, cum vniuersali & genere. Nam quemadmodum vniuersale & genus cum vno sit, in pluribus tamen consideratur, sic de ideis ipsarum auctores disputant. Nam ipsi homo, inquit, in particularibus habetur. hoc est enim quod ait, (Eadem enim ratione substantiæ esse videntur, id est, perinde enim vniuersale in multis consideratur, atque ideæ. Vniuersalia autem non sunt per se, neque substantia, ergo ne ideæ quidem. Sed quoniam substantiarum causæ inquiruntur, quiditas autem est substantia, cuius quiditatis est definitio: idcirco de definitione disputatum est, & de per se. Rursus quia definitio est oratio, oratio vero partes habet, necesse fuit, ut de partibus differeretur, quales partes substantiæ formæque sint, quales non formæ, sed materiæ. Neque vero solum de his differere necesse est, sed etiam de partibus definitionis atque definiti, id est quiditatis, eademne, an diuersæ sint. Præterea, inquit, demonstratum est, neque vniuersale, neque genus esse substantiam. Cæterum de ideis atque mathematicis postea se disputaturum pollicetur. Nam cum ipsarum assertores substantias eas esse dicant, a sensibilibus diuersas, operæ precium fuerit, sint, necne sint, considerare. Sed de his postea differemus, nunc de substantiis de quibus inter omnes conuenit, disputemus, quæ quidem sunt sensibiles substantiæ. Omnes porro sensibiles substantiæ materiam habent. Est autem, inquit, substantia, subiecta siue proposita, hoc est sensibiles substantiæ de quibus habetur oratio. Sed aliter materia, aliter ratio est substantia. Materia enim est substantia tanquam subiectum & indefinitum: ratio vero & forma, ut prædicatum ac definitor. Præfatus autem aliter materiam, aliter rationem esse substantiam, ipse exponit quid materiam appellauerit, dicens, (Atque materiam eam dico, quæ non actu hoc aliquid, sed potentia est.) Neque vero primam tantum & informem materiam dicit, sed etiam alias. Nam ut illa non est hoc aliquid actu, sed potentia: sic ne res quidem est hoc aliquid, ut statua actu, sed potentia, cui cæterorum similis est ratio. Aliter igitur materia est substantia, aliter ratio atque forma, quæ cum hoc aliquid sit, ratione separari potest, actu non item. Tertia substantia est concretum ex materia & forma, cuius tantum generatio habetur, & interitus, ut demonstratum est, & quod proprie separatur, & per se est, non ratione solum, ut forma. Postquam vero formam ratione tantum secerni posse dixit, ait (substantiarum secundum rationem) Vocat autem substantias secundum rationem, ut sæpe diximus, formas. (hæc quidem, illæ vero non) id est, quædam separari possunt ratione,

Aliter materia ratio est, aliter ratio, ac forma.

aliæ simpliciter. Nam cum anima cuiuscq; ipsius forma sit, talis enim forma nunquam est sine materia, anima vero nõ omnis separatur, sed particeps tantum rationis, idcirco quædam separari ait, quædam secus. fortasse non hoc de forma dictum est, quanquam id verum sit (nunquam enim mortalis forma absque materia esse potest) sed de animis rationis expertibus, has scilicet non separari, sed eas solum quæ rationis sunt compotes.

Patet autem & materiam substantiam esse. In vniuersis autem oppositis mutationibus est aliquid quod mutationibus ipsis subiicitur, vt in loco, id quod est hic, & postea alibi: & in accretione, id quod nunc tantum, postea vero maius est aut minus: & in alteratione etiam, id quod nunc quidem est sanum, postea vero ægrotat. Similiter & in substantia, id quod nunc generationi, nunc corruptioni subiicitur. & nunc quidem subiectum est vt hoc aliquid, rursus autem subiectum vt sub priuatione. Et sequuntur igitur hanc cæteræ mutationes. Ipsa autem aut vnam cæterarum non sequitur, aut duas. Non enim si quippiam habeat materiam loco accommodatam, id & generationi subiectam habere corruptionive necesse est.

Patet autem & materiam substantiam esse. Formam & materiam, & ex his concretum, substantiam esse præfatus, ex compositione confessorum substantiarum docet materiam esse substantiam. Vt enim Socratem substantiam vocamus, propterea quod oppositis mutationibus subiicitur, ac illis & aduentibus & abeuntibus ipse persistit, sic quoniam materia formis ei aduentibus & abeuntibus ipsa manet, illæ non item persistunt, dubitari non debet quin materia substantia sit, & quidem hac ratione magis quam forma: quanquam alia forma sit magis in honore, tum quia ipsa materiam definit, tum quia res a forma appellationes mutuatur. Vt igitur Socrates mutationi loci subiicitur, & nunc est Athenis, tum vero Thebis, & iam augetur, iam minuitur, & modo recte valet, modo ægrotat: sic materia subiicitur substantiæ quæ per generationem paritur, & iam est in generatione, & efficitur hoc aliquid hanc formam accipiens, rursus est in interitu, & formæ illius quam acceperat abiectione, & iam est subiectum vt hoc aliquid. Nam cum est coniuncta formæ, quia compositum subiectum est albedini & nigredini, atq; morbo & valetudini, tunc dicimus materiam his vt hoc aliquid subijci. Cum vero absq; forma intelligitur, subijci formæ tanquam priuatio dicitur. Postquam vero materiam nunc in generatione, nunc in interitu esse dixit, alias quoq; mutationes hanc ipsam consequi ait. est autem sensus. quæcunq; materiam habent quæ generari ac interire possit, id est ortui ac interitui subiectam, hæc materiam habent accretionis, imminutionis, mutationis loci, ac alterationis. Nam forma ipsa vt in libro de generatione monstratur, est quæ augetur, quæque immittitur, non autem materia. forma igitur tanquam materia accretioni atq; imminutioni subiicitur. quinetiam quibus adest huiusmodi materia, ea & locum mutant, & alterantur, id est quæ natiuam & mortalem materiam habent. (& hanc inquit materiam) id est huiusmodi materiam habentia, cæteræ mutationes consequuntur, aliarum vero vel vnam, vel duas hæc non consequitur, id est, ex alijs mutationibus vnam mutationem non consequitur vel duas. quod perinde est ac si diceret, Habentibus autem alias mutationes vel vni vel duobus accidit, non tamen omnibus. Habent ergo materiã accretionis & imminutionis, necessario accidit vt materiam ortus & interitus habeant. Habent vero materiam mutationi loci subiectam, nõ est necesse vt ortus & interitus materiam habeat. Sol enim materiam habet loci mutationis, mouetur enim a Meridie in Septentrionem, & in oppositum reuertitur: idem tamen materia vacat quæ ortui ac interitui sit obnoxia. At luna quæ materiam habet loci mutationis, habet item alterationis. accipere enim lumen a Sole, hoc ipsum est alteratio, non tamen nascendi & intereundi materiam obtinet. Itaq; duas mutationes non consequitur ortus & interitus, mutationem loci, & alterationem: neq; has omnes, sed quædam. accretionem vero & imminutionem nascendi & intereundi mutatio cõsequitur. Ipse tamen cum loci mutationem non consequi generationis & interitus mutationem dixisset, illud, neq; alterationem, prætermisit.

Materiam esse substantiam.

Materiam ortus & interitus & cæteræ mutationes consequuntur.

Quid igitur interest inter simplicem generationem atq; non simplicem, in naturalibus libris est dictum. Cum autem eam substantiam quæ vt subiecta est & materies, omnes esse fatentur, atque hæc est ea quæ est potentia: restat vt sensibilibus eam substantiam quæ est vt actus, quænam sit, deinceps dicamus. Democritus igitur putare videtur tres differentias esse. subiectum enim corpus, ipsam materiam, vnum idemq; esse censet: figura vero, positione, ordineq; differre. Multæ autem differentiæ esse videntur: alia nanq; materiæ compositione dicuntur, vt ea quæ mixtione constant, quale est mulsum. Alia vinculo, vt falcis. Alia glutino, vt liber. Alia clauo, vt arca. Alia horum pluribus. Alia positione, vt limen ac superliminare. Hæc enim positione differunt tali. Alia tempore, vt prandium, atq; cœna. Alia loco, vt venti. Alia affectibus sensibilibus, ceu du

ritie, mollitudine, densitate, raritate, humiditate, ac siccitate. Et alia quibusdam horum, alia vniuersis. Et omnino alia excessu, alia defectu. Quare patet & ipsum est, tot dici modis. Est enim limen ex eo, quia sic est situm, & esse ipsum, sic esse situm significat. Et glaciem esse, hoc pacto esse densatam. Esse autem ipsum nonnullorum & his vniuersis definitur, ex eo sane, quia alia sunt mixta, alia complexa, alia ligata, alia densata, alia aliis differentiis vtuntur, vt pes, aut manus. Differentiarum igitur genera sunt sumenda. hæc enim principia erunt, vt vnumquodq; id sit quod est, vt ea quæ intensione remissioneve talia sunt, aut densitate raritateve, & istiusmodi cæteris. hæc enim omnia excessio est & defectio. Si vero quippiam tale est figura, aut leuitate, duritieve, id omne tale est rectitudine, curuitateq;. Quorundam etiam esse erit mixtum esse, nõ esse vero oppositum. Ex his igitur patet, si substantia causa sit vt vnumquodq; sit tale, in hisce quæredum esse, quidnam sit tale, causa, vt vnumquodq; istorum sit. Atq; quanquam nihil est horum substantia, neq; si simul sumatur, in vnoquoq; tamẽ est similitudo rationis. Et vt in substantiis id quod de materia prædicatur, est ipse actus, sic est & in cæteris definitionibus maxime, veluti si limen oporteat definire, lignum aut lapidem situm sic esse dicemus: & si domum, lateres ac ligna hoc posita modo. An in quibusdã & id est gratia cuius conficiuntur? Sin vero glaciem congelatam esse aquam, aut densatam hoc pacto dicemus, concentus etiam acuti grauisq; mixtio talis dicetur, & de cæteris modo eodem.

Democritus.

Cõpositio-
nis ratio.

Quid igitur interest inter simplicem generationem, atq; non simplicem, in naturalibus libris dictum est. Ostenso materiam esse substantiam, cum quæ materiam habent ortui ac interitui obnoxiam, ea auctioni & diminutioni, cæterisque mutationibus opportunã materiam habere dixisset, nec esse necessarium, vt quibus materia insit locum mutãdi, ijs ea quoq; insit quæ generari possint & interire, quia consentaneum erat, quid sit & simpliciter generari, & non simpliciter, exponere, ac omnino quæ horum habeatur differentia, edocere: idcirco ait de his in libris naturalibus esse disputatũ, quoniam in opere de physico auditu, sed latius in libris de generatione docuit, mutationem a deterioribus formis in præstantiores, vt ab aere in ignem, simplicem esse generationẽ, interitum vero quendam. quæ vero a præstantiore forma ad ignobiliore fiat, hanc simplicem esse interitum, generationem vero quãpiam. Sed reddita causa cur hæc hoc in loco prætermittat, ait. Cum autem eam substantiam, quæ vt subiecta est & quasi materia, omnes substantiam esse fateantur, hoc enim demonstratum est. vel non hoc dicit, sed illud, quoniam substantiam vt subiectam & vt materiam, quæ quidem potentia est omnia, esse in rebus, omnium est consensus, & ab omnibus dicitur atque cognoscitur, omnes enim physici de materiali causa mentionem fecere, cum formalis ab omnibus vel omnino neglecta fuerit, vel magna ex parte: sequitur, vt ex sensibilibus, quænam substantia sit actu, differamus. Appellat autem cuiusq; formam sensibilibus substantiam actu. prius tamen more suo veterũ de forma sententias edisserit, & sic placitum suum declarat. Democritum igitur ait subiectum & materiam vnum esse tradidisse. corpuscula enim indiuidua materiales causas esse statuebat, tres vero differentias quæ formam efficeret: fluxum, quod est figura: conuersionem, quod situs: contactũ, quod ordo. quibus positus ipsum redarguit, quod perperam existimauerit tria tantum esse discrimina formas efficientia. Neq; enim tantum ea quæ ab ipso dicuntur, discrimina, sed alia cõplura esse ait, quæ in Democriti discrimina non redigantur: vt mullum, inquit, ex mellis & aquæ compositione informatur, formæq; mulli efficiens est compositio, quæ quidem compositio neq; figura est, neq; ordo, neq; situs. aliud est enim situs, aliud compositio. situs enim dicitur cum aliquid supra vel infra, aut e regione aliquove alio modo iacet. Compositio vero, cum aliqua vel specie vel numero diuersa mutuo debellata continetur. Esse autem in mullo compositioem perspicuum est. Nam cum ipsum sit compositum, dubitari non debet, quin in ipso habeatur compositio. Aliqua igitur informantur compositioe, alia vinculo. Forma enim fascis vinculum est. alia vero glutino, vt liber. quædam clauo, vt arca. nonnulla clauo simul & vinculo, ac omnino pluribus. sunt quæ positione siue situ, vt limen inferum, & limen superum. horum enim forma est huiusmodi situs. Nam si limen inferum ponatur vbi est superum, & hoc ad locum illius transferatur, nimirum limen inferum fiet superliminare, & superum subliminare. ex quo intelligitur, tali situ, & quod sic iaceant, informari. alioquin quãquam aliter ac nunc habet statueretur, non tamen inferum limen esse desineret, vt intelligatur talem positionem esse subliminaris formam. Alia formam a tempore sortiuntur, vt cœna & prandium. Hæc enim tempore solum inter se differunt. Aliqua a loco, vt venti. a locis enim ex quibus spirant, hi Aquilones vocantur, illi Austri, alij Fauonij, quidam Subsolanij. Materie namq; nullum est discrimen, cum exhalatio sicca sit omnis venti materia, vt in Meteoris demonstratur. Alia vero sensibilibus qualitatibus, siccitate, humiditate, ac similibus. (quibusdam harum) vt aqua frigiditate ac humiditate, alia vero pluribus. & omnino quædam excessu & defectu. Raritas enim excessus quidam est, densitas ve-

ro defectus. Ex quo, inquit, palam fit, ipsum est, id est esse cuiusque ac formam tot dici modis. forma enim liminis inferi, eiusque esse, est ipsum ita iacere. & glaciei esse, sic esse cōcretum, ac simpliciter his omnibus quædam definiuntur, quod sint ad hunc modum commista, vt mulsum, alia quod ita colligata, vt falcis & manus. nam & huius esse in huiusmodi colligatione consistit. His commemoratis, sumenda esse ait differētiarum genera. hæc enim principia erunt & causæ cuique vt sit quod est. Exēpli gratia quibusdam ipsum magis erit principium informans, vt Thales dicebat aquam magis rarefactam aerem fieri, & magis etiam nūc rarefcentem effici ignem. Hęc autem, inquit, omnia, id est magis & minus, rarumque ac dēsum, & similia excessus sunt, atque defectus. Siquid autem est, inquit, quod figura informetur, vt mathematica, hæc enim figuris informantur, estque materia ipsorum corpus mathematicum: vel si non figura, certe leuitate, vt specula, nam hæc leuitate informatur: vel si non leuitate, at asperitate, vt molares lapides: siqua igitur sunt quæ huiusmodi rebus informantur, nimirum hæc omnia informantia, leuitas, & figura, & asperitas, reducētur ad rectum & curuum. Nā leue dicitur, quod partes in rectum quodammodo sitas habet, asperum vero quod non sic, sed cauitates quasdam, vel omnino anfractus & inæqualitates. Alijs esse in mistura consistit, vt mulso: non esse autem in eo, quod mista non sint. Si ergo substantia & forma causa est vt res sit, haud dubie quid vnumquodque sit, in his est inuestigandum, & quæ sit causa, vt sit vnumquodque: vt si quis inquirat, quæ causa sit, cur speculum hoc sit quod est, hoc in recto & in curuo ac cæteris inquirat, inuenietque vnum ex his causam esse cur speculum sit id quod est, rectum videlicet. & in cæteris pari ratione. Sed cum dixisset, si substantia causa est vt vnumquodque sit, in his esse quærendum, subiicit, horum igitur nihil est substantia, id est neque leuitas, neque asperitas, neque limen, non dico lignum, hoc enim constat esse substantiam, sed liminis formam. Nam si liminis forma, substantia esset, minime loco commutato, protinus limen esse desineret, cum ei nihil accidisset noui, præterquam vt locum vbi erat, commutaret. Non igitur liminis forma per se intellecta substantia est, neque cum ligno copulata. Pari ratione nulla forma artificiosa substantia est. Et tamen, inquit, quia proportionem habent ad substantias, ac ipsarum æmulæ sunt, quoniam quam rationem forma humana formaque equi ad sibi subiectam materiam habent, hanc dispositio huiusmodi, hoc est liminis forma, ad lignum sibi subiectum, statue ad æs, speculi ad ferrum, & cætera similiter ad sua subiecta. Cum igitur eandem rationem habeant, consentaneum est, vt quemadmodum in reddendis substantiarum definitionibus non definimus compositum, sed formam, sic in his formas definiamus, non composita. quare si limen placet definire, liminis formam definiamus oportet: si domum, domus formam, in hunc modum, domus est tutamen quod ab imbris ac ventis defendit. Sed in quibusdam, inquit, non forma definitur, sed id cuius gratia, vt si arculam vas esse definiamus ad numos reponendos accommodatum, id cuius gratia est, explicamus. numos enim conseruandi gratia artifex huiusmodi materię formam arculæ imposuit. His interiectis rursus ait (sin autem glaciem definimus, congelatam esse aquam dicimus aut densatam hoc pacto.) Si vero concentum, talem mistionem esse dicemus acutorum grauiumque sonorum. similis cæterorum ratio est. Ac sensus quidem dictorum huiusmodi est. Dictio autem quæ ait, (In vnoquoque tamen similitudo rationis est, & vt in substantijs id quod de materia prædicatur, est ipse actus, sic est in cæteris definitionibus maxime) paulo obscurior habetur, sensus autem huiusmodi est, horum quidem nullum est substantia, etiam si cum materia coniungatur: tamen in horum quoque, id est in limine & in cæteris similitudo rationis est, id est, hæc proportionem siue similitudinem habent ad substantias. & quemadmodum in substantijs id quod de materia prædicatur, nil est aliud quam ipse actus, id est ipsa forma, quam definimus (hoc enim subaudire oportet) sic in alijs definitionibus non substantiarum, sed artificiosorum formas ipsas oportet definire.

Leue.
Asperum.

Ex his igitur patet, aliam materiam, alium actum ac rationem habere. Quorundam enim est compositio, quorundam mixtio, quorundam aliquid iam dictorum. Idcirco definiuntur domū, qui quidem lapides ipsam inquirunt esse, lateres atque ligna, ii eam dicunt quæ est potentia domus. hæc enim materia sunt, vt patet. Qui vero vas inquirunt esse quod tegere supellectilem ac corpora potest, aut aliud quippiam tale addentes, ii dicunt actum. At qui hæc ambo componunt, ii tertiam substantiam dicunt, & eam quæ ex his ipsis constat. Nam ea quidem ratio quæ per differentias fit, formæ ac actus: ea vero quæ ex his quæ insunt extruitur, materię magis esse videtur. Similiter sese habent & eæ definitiones, quas Architas probabat. Sunt enim ex vtrisque, veluti, quid est vacuitas venti? Quies in aeris multitudine. Aer enim materies, quies actus atque substantia est. Quid est tranquillitas? Aequalitas maris. atque mare quidem est subiectum, vti materies: aequalitas autem, actus ac forma. Patet igitur ex hisce quæ dicta sunt, quænam sit ipsa sensibilis substantia, & quo sit pacto. est enim alia vt materies, alia vti forma: quippe cum actus sit, & tertia ex hisce duabus constat.

Alius actus
aliaque for-
ma aliam ma-
teriam ha-
bet.

Ex his igitur patet, aliam materiam alium actum habere.) Nam cum glaci materia sit aqua, non triticum, acerui triticum, non aqua, domus ligna & lapides, non aqua & mel, hæc enim sunt materia mulsi, dubitari non debet, quin alius actus aliaque forma aliam materiam habeat, aliaque aliam, ac vicissim alia materia alio informetur actu. aquæ enim ac mellis actus formaque est compositio, granorum autem tritici & ordeï mixtio, & aliorum alia. Et quoniam omnis forma tum naturalis tum artificiosa in materia esse obtinet, idcirco quidam per materiam definiunt, ut qui aiunt, Domus est ligna, & lapides atque lateres. vel, ira est feruor sanguinis circa cor. Qui ergo ad hunc modum definiunt, ij domum quæ potestiam est, & iram quæ est facultas, definiunt. Materia enim domus sunt ligna & lapides, iræ vero sanguis. Itaque definit quæ domus esse possunt, & quod ira. Qui vero aiunt, domus est receptaculum ad opes & corpora tuendum accommodatum, vel aliquid tale adijciunt, ij formam actumque definiunt, atque dicunt. At qui aiunt, domus est ligna & lapides, receptaculum ad opes & corpora tuendum idoneum, ij domum ex materia & forma consistentem definiunt. Ratio enim ex differentijs, est formæ definitio: ex lignis autem & lapidibus, materiæ: quæ vero ex utrisque fit, compositæ domus definitio est, quales Archytes quidam conficiebat, qui definiens serenitatem aiebat serenitatem tranquillitatem esse in aere copioso. Aer enim est materia, tranquillitas autem actus & forma. Similiter malacia est lenitudo maris, subiectum quasi materia est mare, lenitudo vero forma. His igitur accurate, ac diuina quadam ratione disputatis, concludit dicens, (Patet igitur ex ijs quæ dicta sunt, quænam sit ipsa sensibilis substantia, & quo sit pacto. est enim alia ut materia, alia ut forma & actus, tertia quæ ex his consistit.

Non ignorare autem oportet, interdum latere, utrum nomen ipsum significet, compositam ne substantiam, an actum & formam: veluti domus, utrum communis ipsius sit signum, tegminis inquam ex lapidibus atque lateribus sic positus extructi, an actus formæque, tegminis inquam. Et lineam, utrum dualitatem in longitudine, an dualitatem. Et animal, utrum animam in corpore, an animam pari modo significet. Hæc enim substantia & actus cuiusdam corporis est. Dicitur autem animal & de utrisque non vna ratione, sed ut ad vnum. Verum hæc ad aliquid quidem aliud conferunt, ad substantiæ vero sensibilis inquisitionem nihil conferre videntur. Quiditas enim formæ atque actui cõpetit. nam anima quidem, & animæ esse, est idem: hominis autem esse, ac homo, non idem est, nisi & anima homo dicatur. hoc vero pacto cuidam competet, cuidam non cõpetet.

Sed non ignorare oportet, interdum latere utrum nomen ipsum significet.) Quæstionem hanc aperte explicare proponit, tamen non soluit, propterea quod solutio eius est manifesta. Quærit enim utrum nomina compositorum signa sint, an formarum. exempli gratia, linea num significet dualitatem in longitudine, quod est compositum. Dualitas enim est forma, longitudo vero materia. Lineam autem appellat dualitatem, quoniam ut in numeris primum interuallum siue extensio est dualitas, sic in longitudinibus linea. Linea igitur utrum significet dualitatem in longitudine, an dualitatem, id est formam tantum. Et animal utrum significet compositum, hoc est animam in corpore, an solum animam. Hæc enim est substantia, actusque, & forma corporis cuiusdam. Sic igitur sciscitatus, quæstionem insolutam reliquit, ceu nequeat dubitari, quin nomina formarum signa sint, non compositorum. Nam cum nomen illud signum sit, quod per definitionem explicatur, formæ autem per definitionem explicentur, satis intelligitur nomina formarum esse signa. Sed cum dixisset, utrum animal significet animam, an compositum, adiecit. (Erit enim in utrisque animal) id est, animal dicitur de anima, dicitur item de composito, non tamen ut vna ratione dictum, sed quasi ad vnum. Nam cum habeat anima facultates appetendi, quas ipsum quoque compositum habet, ad hoc spectantes, ambo vocamus animalia. Sed quæstionem hanc, utrum animal compositam substantiam significet, an animam, intelligens nihil ad propositum pertinere, ait (verum hæc ad aliquid aliud conferunt) id est, ad quæstiones dialecticas conducit intelligere, compositum significet, necne. ad quæstionem vero substantiæ sensibilis nihil facit. Huiusmodi ergo quæstione ommissa, de forma differit, dicens, quiditatem non in composito dici, sed in forma actuque inesse. nam in simplicibus, inquit, idem est esse aquæ, & aqua ipsa. Similiter anima, & esse animæ. Homo vero non est idem quod hominis esse. Nam cum hominem dicimus, Socratem intelligimus vel Platonem, ac omnino compositum. cum autem hominis esse, quiditatem & formam. Quod vero ait (nisi & anima homo dicatur) huiusmodi est. Si quis, inquit, animam hominem appellet, homo prædicatur de anima. quare cum anima & esse animæ idem significant, idem erit homo, & esse hominis. sin aliter, non idem. (Atque hoc pacto, inquit, cuidam competet, cuidam non competet.) id est, si quis animam hominem appellet, idem erit homo, & esse hominis. si vero cum hominem dicit, compositum intelligit ex anima & corpore, hoc est ex forma & materia, non idem erit homo, & esse hominis, sed partim hoc erit, ut in anima: partim secus, ut in homine composito.

Quærentibus igitur neque syllaba ex elementis compositione ue, neque domus lateres compositioque esse videtur. atque hoc recte quidem. Neque enim compositio neque mixtio ex iis

est, quorum est compositio aut mixtio. Similiter neque cæterorum quicquam, veluti si limen est positio, positio non est ex limine, sed limen potius est ex illa. Neque igitur homo animal est & bipes, sed aliquid esse oportet quod præter hæc est, si hæc materia sunt: quod neque elementum est, neque ex elemento, sed substantia ipsa, quod excipientes materiam dicunt. Si igitur hoc causa est ipsius esse atque substantiæ, hoc sane substantiam ipsam dicerent esse.

6 Quærentibus igitur neque syllaba ex elementis compositione esse videtur. (Ostenso in libro superiore syllabam, id est formam ipsam syllabæ, diuersam esse ab elementis, & formam neque elementum esse, neque ex elementis, rursus harum rerum quæstionem edisserit, dicens syllabam, hoc est formam ipsam syllabæ, non consistere ex elementis & compositione. Neque enim ut mel & aqua quæ per se consistunt, cum coiere, mulsam conficiunt, sic compositio, quæ per se existat, & elementa conuenere ad syllabam cõficiendam. Syllaba igitur non cõsistit ex cõpositione ac ex elementis, neque domus ex lateribus & compositione, sed syllabæ forma est effectus, qui ex a & b existit, & ba, id est syllaba nihil est aliud, quàm huiusmodi elementorum compositio, non tamen syllaba ex compositione atque elementis constat. (Haud enim compositio vel mistio ex ijs est, inquit, quorum est compositio aut mistio.) quæ obscura & manca interpretatio est. nam subaudire oportet (alicuius.) illud autem (ex ijs) pro (cum ijs) accipi debet: ut sit plena oratio huiusmodi. Neque enim est compositio, neque mistio alicuius cum ijs quorum est compositio, vel mistio. Eritque sensus. Si compositio est, atque gratia exempli & mellis, non coiuit mistio cum horum aliquo, cum aqua inquam aut melle, aut cum ambobus ad conficiendum mulsam. Si enim mistio res quædam esset ex ijs quæ per se valent consistere, non esset alienum dicere, ipsam cum horum aliquo, id est, cum aqua vel melle aut cum ambobus coeuntem mulsam efficere. cum autem non sit, ne hoc quidem dicitur. Sed mulsam est ipsa mistio. Ipse vero in exemplum ac expositionem dictorum adduxit limen, dicens (veluti si limen est positio, positio non est ex limine, sed limen potius ex illa.) id est, si limen, hoc est, liminis forma est situs, & sic iacere, positio non est ex limine, sed hoc potius ex illa, quoniam huiusmodi situs limen informat. Nō igitur, inquit, homo est animal & bipes, sed quod ex his perficitur, quod est præter ipsa. hæc enim sunt materia. quod vero ex ipsis existit, homo. quod ipsum, quod est inquam præter animal & bipes, neque elementum est, neque ex elementis. aliquid autem est præter animal & bipes substantia, id est, forma, quam proprie substantiam vocant, excipientes ratione, ac separantes materiam. fortasse tamen illud (excipientes materiam dicunt) de ijs qui asserunt ideas, dictum est, quoniam formam a materia separantes, & per se esse dicentes, ipsam appellant substantiam. Si ergo forma, ut sæpe confirmatum est, causa est quæ materiam mouet, ac efficit id quod est, haud dubie si quis omnino substantiam dicat, nihil aliud dicet quàm formam.

Syllabarū
cõpositio.

Hanc igitur aut æternam esse, aut caducam sine corruptione, & ortam sine generatione necesse est. Demonstratum autem est in aliis declaratumve, neminem facere generareque formam, sed efficitur hoc, atque fit id quod ex his constat. Si vero rerum earum quæ corrumpuntur, substantiæ sint separabiles, nondum dilucidum est. Patet tamen nonnullarum esse non posse, quæ præter ipsa singula nequeunt esse, quale est vas & domus. Fortasse igitur neque hæc ipsa substantiæ sunt, neque cæterorum quicquæ quæ non natura cõstant. Naturam enim quispiam solam eorum quæ sunt in hisce quæ corrumpuntur, substantiam esse ponet.

7 Hanc igitur aut sempiternam esse oportet, aut caducam sine corruptione. (Postquam formam causam esse dixit ut materia moueatur, ac fiat id quod est, & si quis substantiam dicat, hanc formam absque dubio substantiæ nomen imponere, ait necesse esse hanc vel sempiternam esse, vel mortalem non intereundo, & natiuam non nascendo, id est, interire sine interitu, & esse absque generatione. In libro enim superiore demonstratum est, formam a nullo neque fieri, neque generari, sed hanc formam fieri, exempli gratia globum, & omnino id quod ex forma & materia existit. Ac formam quidem non fieri perspicuum est. sintne tamen substantiæ separatae, ac ideæ, nondum est constitutum. quanquam illud certum est in quibusdam ideas esse non posse. Neque enim ipsa domus est, neque ipsa arca. Sed fortasse, inquit, formæ ab arte confectæ substantiæ non sunt, nec eæ omnino quæ a natura non constituuntur. Sed naturam tantum quispiam vere substantiam esse dicat, & formam a natura non constituuntur. Sed naturam tantum quispiam vere substantiam esse dicat, & formam rerum mortalium, id est, naturalem formam, & quæ in singulis ac mortalibus inest. porro si artificiosæ formæ substantiæ non sunt, haud dubie ne ideæ quidem ipsarum habentur, quandoquidem ideæ substantiarum sunt.

Forma vel
sempiter-
na est, vel
mortalis
sine inter-
itu.

Quare ea dubitatio quæ Antisthenis sequaces, & tales ineruditi homines dubitabāt, nunc solui potest. Qui quidem definitiones assignari non posse censebant. definitionem enim longam orationem esse dicebant. Sed fieri quidem potest, ut doceas qua-

le quid quippiam est. Ut definias vero, minime fieri potest. Etenim quidnam sit argentum, non dixeris vnquam: at esse tale quale est stannum, dicere potes. Quare cuiusdam quidem substantiæ, ceu compositæ, siue sit sensibilis, siue intelligibilis, definitio atque ratio esse potest, sed eorum ex quibus hæc primis constat, esse non potest, si definitiua ratio quippiam de quopiam significare videtur, atque alterum vt materiam, alterum vt formam esse oportet.

Antisthenis sequacium, qui negabant quæquid definiiri posse, confutatio.

Quare ea dubitatio, quam Antisthenis sequaces, & tales ineruditi homines dubitabant, occasionem 8
habet.) Subaudiendum est, vt ex ijs quæ diximus, soluatur: vt sit plena oratio (quare dubitatio quam Antisthenis sequaces dubitabant, occasionem naçta est, vt ex ijs quæ dicimus, soluatur. Nam cum demonstratum sit, alias esse formæ partes, alias quasi materiæ, Antisthenis sequacium dubitatio ex his solui potest: qui quidem dubitabant, ne nullius haberetur definitio, cum definire non liceret. quod ad hunc modum confirmabant. Definitio, inquiunt, non est nomen, sed ex pluribus consistit. Hoc est enim quod ait, (orationem longam) quoniam animal rationis compos mortale, mentis ac disciplinæ capax, oratio longa est, non vt nomen homo. Cum igitur definitio non sit nomen, efficitur vt ne liceat definire. Dicunt autem cum animal rationis compos aimus, cõpositum quiddam ex materia & forma dici. ex animali, vt ex materia: ex rationis compote, vt ex forma. Præterea mortale quod adijcitur, compositum esse. quod si ita est, composita obimus, & quasi numeramus quotnam sint, cum animal rationis compos dicimus, & rursus animal rationis compos mortale, non autem definitionem reddimus. Aristoteles igitur ex ijs quæ dicimus, quæstionem solui ait. Nam cum demonstratum sit, animal pedestre bipes, formæ, non materiæ partes esse, quomodo animal materia esse dici potest, compos vero rationis forma? Nam si animal & mortale, & compos rationis, materiæ partes essent, consentaneum esset hæc dicere, animal scilicet & rationis compos, esse materiam, mortale vero formam. Et qui animal mortale diceret, is compositum diceret ex materia & forma. Nunc cum non sint materiales, non dicit compositum, sed partes formæ. Itaque definitio est. Non igitur, inquiunt, definire licet, sed qualis sit homo, & qualis bos, demonstrare licet, non item definire. Itaque definire ac explicare quid sit argentum, non licet: quale autem sit, demonstrari potest, id est, interrogati quale sit argentum? dicere possumus, quale stannum. Quare rationem aiunt substantiæ ex materia & forma dicere possumus: formæ definitionem, aut materiæ, ex quibus composita substantia existit, reddere nequimus. Sed cum substantiæ compositæ definitionem reddi posse dixisset, adiecit (siue sit sensibilis, siue intelligibilis.) Esse autem sensibiles substantias compositas certum est. Sed intelligibiles quoque compositæ sunt. Mathematica enim ex materia & forma consistunt. Nam circulus intelligibilis pro materia interuallum habet, pro forma talem figuram. quanquam non quod ita sentiret, mathemata vocauit substantias, sed quia fortasse Antisthenes ita dicebat. Substantiæ igitur compositæ, siue intelligibilis sit, siue sensibilis, definitio reddi potest, nõ autem eorum ex quibus hæc substantia consistit. Siquidem animal rationis particeps, ac omnino definitio aliquid de aliquo significat, quorum alterum est forma, alterum materia.

Patet etiam & cur si substantiæ sint aliquo modo numeri, hoc pacto sunt, & non, vt quidam inquit, vnitatum multitudo. Nam definitio numerus est quidam. est enim diuisibilis, & in diuisibilia diuisio ipsius accedit: quippe cum rationes non sint infinitæ. talis autem & ipse numerus esse videtur. atq; vt si quid eorum ex quibus numerus cõstat, sublatum a numero aut additum fuerit, nõ idem numerus, sed diuersus emergit, etiam si minimum fuerit illud, sic neq; definitio, neq; quiditas vltorius eadem erit, si ablatum ab ea quippiam, aut additum ei fuerit, vti patet. Esse præterea quippiam oportet, quo ipse numerus est vnum: quod quidem assignare non possunt. Nam aut vnum nõ est, sed vti cumulus est: aut si sit, dicendum est quidnam sit id quod ipsum efficit vnum. Ex multis identidem & definitio vna est. at neq; in hac illud dicere possunt, idque merito accidit. Est enim eadem ratio, & substantia hoc pacto est vnum, sed non vt asserunt quidam, qui vnitatem quandam, aut punctum inquiunt esse, sed actus est quæq; atq; natura quædam. At vt numerus non magis minusve numerus est, sic neq; ea substantia quæ ad formam accomodatur: sed si est, ea est quæ cum materia est. Sed de generatione corruptioneue substantiarum, quo pacto esse potest, & quo pacto esse non potest, & de reductione definitionis ad numerum, sit eouq; determinatum.

Patet etiam & cur si substantiæ sunt aliquo modo numeri, hoc pacto sunt.) Postquam formam esse 9
proprie substantiam docuit, dixitq; omnino cum substantiam dicimus, formam dicere, quoniam numeri similitudinem quandam habent ad formam & substantiam, ait, si quoniam numeri similitudinem ha-

bent ad formas, idcirco formas appellant numeros, ac proinde substantias, profecto ipsorum dictum non abhorret a ratione, atque hoc recte traditur: sin aliter, quoniam numerus est unitatum multitudo, non recte aiunt. Et commemorat similitudines numeri ac definitionis. quāquam cum definitionem ait, haud dubie definitum quoque dicit. Definitio, inquit, numerus quidam est. Nam ut numerus in unitates indiuiduas secatur, sic definitio diuiditur in indiuidua. Licet enim animal diuidatur in rationes animati & sensibilis, non tamen hoc in infinitum fiet, sed in aliquid incidemus, quod in rationes non diuidatur. Et quemadmodum si numero vel minima pars dematur aut adijciatur, iam non persistet numerus (si enim numero octo unitatem vel dempseris, vel adieceris, non amplius manebit octo, sic si a definitione siue quiditate cuius est definitio, quidquam abstuleris, eive addideris, iam non manebit idem. Et quemadmodum aliquid sit oportet, quod uniat numerum, & per quod numerus sit vnus, sic in definitione ac quiditate quod quid sit dicere nequeunt, qui numerum substantiam esse aiunt idcirco, quod numerum unit, atque ipsum efficit vnum. vel enim, inquit, numerus non est vnus, nisi tanquam aceruus, aut si est, explicare oportet quid ex multis vnum efficiat. At isti neque numerum quid vnum efficiat, nec quid definitionem vnā, dicere possunt. quod merito eis vsu venit, siquidem ratio eadem est. Ex qua enim ratione causaque eis accidit, ut dicere nequeant quo numerus existat vnus, ex eadem efficitur, ut idem in definitione explicare non possint. Ceterum substantiam & quiditatem vnum esse certum est, non tamen, ut quidam dicunt, propterea quod unitas quaedam sit, aut punctus. Plato enim formam unitatem, materiam vero dualitatem appellabat, sed vnaquaqueque substantia vnum est actu & natura quaedam, non autem potentia. Et quemadmodum numerus non habet magis, nullus enim numerus est magis numerus quam alter, sic ne substantia quidem, quae per formam intelligitur, magis habet neque minus, neque magis substantia est, quam altera forma. Licet enim forma magis substantia sit quam substantia materia vocata, non tamen quam substantia quae est forma. quibus commemoratis concludit, de ortu dicens & interitu substantiarum appellatarum quomodo fieri possit, explicatum esse, compositam scilicet generari, formam non item. Praeterea de reductione in numerum. proxime nanque quomodo definitiones in numeros reducere oporteat, explicauit. Qua vero re numerus vnus sit, atque item definitio & quiditas, in praesentia praetermittit, disputaturus de ipso in calce huius libri, ubi ait, de dubitatione autem dicta circa definitiones ac numeros, & caetera quae sequuntur.

Definitio
numerus
quidam est.

De materiali vero substantia non lateat hoc oportet, esse inquam cuiusque propriam materiam quandam: & si ex eodem omnia primo, aut ex eisdem aut primis fiunt, eademque materies est ut principium vniuersis quae fiunt. Sunt enim dulcia quidem aut pingua, pituitae materia prima: amara autem, aut alia quaedam, bilis. At haec ex eodem forsitan fiunt. Eiusdem autem plures materiae fiunt, cum altera alterius materies est, veluti pituita fit ex pingui ac dulci, si pingue ex dulci fit. Ex bili vero propterea, quod in materiam primam bilis resoluitur. Dupliciter enim hoc ex hoc fieri solet, aut cum profectio ad anteriora, aut cum resolutione ad principium itur. Fit autem ut vna ex materia, diuersa ob mouentem causam oriantur: ex ligno enim arca fit, & lectica. Quorundam etiam diuersorum materiam necesse est diuersam, veluti ferra non fiet vnquam ex ligno, neque hoc est in potestate mouentis causae situm. non enim vnquam ex lana aut ligno conficiet ferram. quod si idem diuersa ex materia effici potest, patet idem principium eandemque artem esse mouentem. Nam si materia sit diuersa, & mouens item diuersum, id etiam quod efficitur, diuersum, non idem erit. Cur igitur quispiam quanam sit causa quaerit, quoniam multis modis causa dicitur, vniuersae quae possunt esse causae dicantur oportet, veluti quanam sit causa hominis ut materies? mensurus sanguis. quae vero ut mouens? semen. quae praeterea uti forma? quiditas ipsa. quae insuper ut id gratia cuius caetera fiunt? finis. Atque haec ambo sunt forsitan idem. Causas autem propinquissimas assignare oportet, ut materiam propriam, non terram, non ignem.

10 De materiali autem substantia non lateat hoc oportet.) Conclusis quae de materia & forma dicta sunt, cum dixisset (de generatione substantiarum & interitu) & quae sequuntur, ait, non autem ignorare oportet, etiam si cuncta ex informi materia ut ex prima generatione, & haec sit quasi principium materiale vel potius ex eisdem ut primis, appellat autem prima, quatuor elementa. licet ergo, quae generantur, ea ex his fiant tanquam ex primis, tamen cuiusque sua est & proxima materia. Nam ut aes proxima est statuae materia, sic dulcia & pingua sunt prima proximaque materia flegmatis, siue pituitae. Materia enim pituitae est dulce & pingue, bilis autem amarum, vel tale quidquam. (Atque haec) inquit, id est, dulce & pingue, atque amarum (ex eodem forsitan sunt) id est, ex quatuor elementis. Illud autem (forsitan) vel propter materiam primam adiectum est (ex hac enim existunt elementa) vel quia non est propositum nunc disputare num dulcia & pingua ex quas
t iij

tuor elementis fiant, necne. Sed quanquam sua sit cuiusque materia, accidit tamen ut eiusdem complures sint materiae, cum materiae habetur materia: ut si ex dulci fiat pingue, ex pingui pituita, pituitae duae fuerint materiae, id est pingue proxima, dulce remotior. Praefatus autem pituitam ex pingui fieri, addit ex bili quoque fieri, propterea quod resoluitur in bilim tanquam in primam materiam. Nam cum bilis humor sit, qui magis informatur, quam pituita (est enim pituita humor omnino incoctus) idcirco pituita prius generatur ex ciborum cruditate. ex quatuor igitur elementis dulcia pinguique gignuntur, ex his pituita, ex pituita bilis. Si ergo usu veniat, ut bilis resoluetur in elementa, fiet haud dubie ex bili pituita, ex hac elementa. Sed interest, quoniam processus a pituita in bilim, est generatio simplex, interitus vero quidam: a bili vero in pituitam, interitus ac omnino resolutio ut in materiam primam. Itaque aliter pituita fit ex dulci & pingui, aliter a bili. Ex dulci enim ac pingui pituita fit, tanquam forma ex materia & priuatione, ex bili vero quasi materia, ac omnino priuatio ex forma & habitu. Dupliciter enim, inquit, hoc ex hoc fieri solet, aut proficiendo, id est cum ex deteriore forma, quae priuationis aemula est, proceditur ad potiorem. aut cum resolutione ad principium itur, id est, quando potior forma resoluitur in deteriolem. Estque mutatio aquae in aerem profectus, mutatio vero aeris in aquam resolutio in principium. Neque vero solum accidit, ut unius formae sint plures materiae, sed etiam ut ex una materia diuersae formae efficiantur propter principium mouens. Etenim quoniam complures formae insunt in anima fabri aerijs, idcirco ex una materia, ut ex aere, lebetem, asciam atque ollam efficit, quae formae inter se diuersae sunt. quanquam non omnium diuersorum materia eadem est, immo aliquorum diuersorum materia necessario est diuersa. Serra enim ac lectus diuersa sunt, & materiam diuersam necessario habent. Neque enim serra ex ligno efficitur nisi aequiuoce, sed ex ferro. Neque est in artificis potestate ferram ex lana vel ex ligno conficere. Quod si idem, inquit, ex alia & alia materia effici potest, haud dubie hoc ab eadem arte efficietur. Nam si potest ascia ex aere fieri, atque ex argento, proculdubio eadem ars hoc efficiet: quoniam si materiae sunt diuersae, & item quae materiam mouent, hoc est artes vel artifices (nihil enim refert) ea quoque quae sunt ex diuersis & artibus & materijs, erunt diuersa. Quod si tum figulus tum etiam faber aerijs ollam efficiunt, alter ex terra, ex aere alter, cum materiae diuersae sint, atque item artes, tamen non prorsus artes sunt diuersae, sed quatenus faber aerijs forcipem & asciam conficit, figulus non item, & figulus amphoram, non autem faber aerijs, diuersae sunt. In eo vero quod uterque ollam efficit, eadem esse intelliguntur. Sed id duntaxat quod utraque ars efficere potest. His commemoratis, ad disputandum de causis aggreditur, & cum quadupliciter causa dicatur, si quis, inquit, causam petat, omnes quaecumque esse possunt, explicandae sunt. non autem remotae, sed proximae: ut si quis quaerat hominis causa ut materia quae sit, non est respondendum, quatuor elementa, sed menses muliebres, causa vero ut mouens semen genitale. Neque enim quatuor elementa sunt hominis in eo quod homo est elementa, sed in eo quod est corpus compositum. Rogatus autem quae sit causa ut forma, quiditatem respondere debet: ea vero cuius gratia, finis. Intelligendum est tamen id cuius gratia & formam idem esse in naturalibus, in artificiosis non idem. Neque enim idem est arcae forma, & id cuius gratia arca fuit effecta, sed forma est talis figura, finis vero conseruatio supellectilis.

Hoc ex hoc fieri dupliciter solet.

Id cuius gratia, & forma, idem in naturalibus, non autem in artificiosis.

Circa igitur vniuersales substantias generabilesque ita versari necesse est, si cui curae est recte versari, si haec & tot sunt causae, & cognoscere eas oportet. In naturalibus autem perpetuisve substantiis alia ratio esse videtur. Quaedam enim materiam fortasse non habent, aut non tale, sed solum mobilem loco. Ea etiam quae natura quidem sunt, substantiae vero non sunt, materiam non habent, sed substantia est subiectum, veluti quaedam est defectio nis causa. Atque non est vlla materies assignanda: quippe cum non sit, sed luna sit id quod patitur. Quidnam est causa, ut id quod mouit, lumenque corrumpit terra. Id vero gratia cuius caetera fiunt, fortasse non est. at causa quae est ut forma, est ipsa ratio, sed non manifesta est, nisi cum causa sit: veluti quid est defectio priuatio lucis. Quod si additum hoc fuerit, a terra intercedente, haec erit ea quae est cum causa ratio. Obscurum autem est de somno quid est quod patitur primum. Quod si animal quispiam dicat, sit ita. at quoniam patitur ipsum, & quod patitur primum dicat oportet, cor ne, an aliquid aliud. Deinde a quoniam patitur. Postea quaedam illius & non ipsius totius est passio. Quod si sit immobilitas talis, sit ita: at addatur oportet, hoc ipso quod aliquid patitur ipsum primum. Quoniam autem sine generatione quaedam corruptioneue sunt & non sunt, ut puncta si sint, & formae omnino (non enim fit ipsum album, sed lignum album, si omne quod fit, ex aliquo, atque aliquid fit) non omnia sane contraria ex sese mutuo sunt, sed alio modo albus homo ex homine nigro, & alio modo album ex nigro. Neque cuiuslibet materies est, sed eorum quorum est generatio mutua, mutatiove. Quae vero sine mutatione sunt, aut non sunt, ea materiam non habent.

11 Circa igitur vniuersales substantias generabilesq; ita versari necesse.) Postquam dixit, cum cau-
 sae quatuor sint, quatuor causas interrogantibus esse reddendas, de naturalibus natiuisq; non sempiternis substantijs necessario ita esse differendum tradit, proximafq; causas reddi oportere, si quis recte velit disputare. At cum causas reddi a nobis oporteat, non est committendum, vt causas ignoremus. Nā quod ignoras, id explicare qui possis? In naturalibus enim ac sempiternis, id est in vniuersa octo spherarum vnitae, alia ratio est. fortasse enim materiam non habet. Nam si caret materia, nō potest in ea causa materialis explicari. Adiecit autem illud (quædam) quoniam licet corpus circumlatum quisquam materia carere neget, defectus tamen lunæ, qui naturale quiddam est, quid tandem materiam esse dicat? Sed cum dixisset, fortasse non habet materiam, addit, vel si habet, non tamen naturam & mortalem, sed loco tantum mobilem. Non igitur eorum est materia, quæ licet natura sint, non sunt tamen substantiæ, sed affectiones. his nanq; subiectum quidem est, at non materia. Neque enim quidquid est alicui subiectum, id eius cui subijcitur, est materia. Nam defectus lunæ quæ potest esse materialis causa: profecto nulla. sed luna subiectū est ipsius, materia vero nihil. Nam si luna materia defectus esset, forma ipse defectus: vtique cessante defectu, ne luna quidem superesset. Sublatis enim formis, res quoq; tolluntur quæ per ipsas sunt. At tunc etiam cum nullus est defectus, luna nihilominus est. haud dubie igitur neque defectus est forma lunæ, neq; luna materia defectus, sed defectus materiali causa vacat, ergo ne habet quidem gratia cuius: vt huiusmodi causas reddere non sit elaborandum. Causa vero efficiens est terra, quæ lumen intercipit: forma autem defectionis est quidam ratio, sed incerta, nisi forte sit cum causa: vt si quis defectum priuationem luminis esse dicat, incertum est, an hæc sit ratio atque forma defectionis. Nam tenebræ sunt quidem priuatio luminis, nec tamen sunt defectio. Quod si dicas, defectus est priuatio luminis, quæ sub terram in medio fit, hæc ratio defectionis est cum causa. In somno etiam dubium est quid sit primum quod patitur, vt ratio ipsius explicetur. Si quis autem dicat, animal est primum quod patitur, is explicet oportet hoc animal qua parte affectum obdormit: aut eorum quæ in ipso sunt, quid primo affectum somnum induxit. aliquid enim aliud prius affectum inducit somnum animali. Num igitur illud cor sit, dubitatur, vt ipsi placet: an cerebrum, vt visum est Platoni. Aristoteles enim principium animalis cor esse ratus, ait, quemadmodum in mundo vapores elati ac refrigerati in aquam concresecunt, ac rursus deferuntur, sic in animalibus vapores ex cibis dum coquuntur exhalantes, cerebrū subire, & ab hoc natura frigido refrigeratos descendere, & cor ipsum impetere: cuius calore stincto, sed non penitus, dormire animal, donec illi discreti rursus reducantur. ad hunc igitur modum e somno animal excitatur. Ergo dubium est, inquit, in somno quid est quod primum afficitur, & a quo, & quæ est illius affectio, id est quæ sit affectio patientis, non totius animalis, immobilitas huiusmodi. quasi dicat, si cui somni definitionē reddere libeat, ne dicat, somnus est immobilitas sensuum animalis. hoc enim de omni totius animalis quiete dictum est, & toti animali congruit, non somno. At somni definitio soli somno cōuenire debet. Sed fortasse illud (immobilitas talis) de somno dictū est, vt sit sensus, oportere somni affectionem explicare, ac dicere, somnus est immobilitas talis (Et hæc, quoniam primum aliquid patitur) id est, & hæc immobilitas exponatur sic, somnus efficitur, quoniam primum aliquid patitur. quod somnus efficitur, id est explicetur quid primum patitur, quod somnus est effectum, num cor, an aliud quidquam? His commemoratis, rursus quorum habeatur materia, & quorum sensus, apertius edisserit, dicens, quædam absque generatione & interitu sunt & non sunt, vt puncta & contactus, ac omnino formæ. forma enim absque tempore, & momento indiuiduo fit, vt docuit in libro septimo de Physico auditu. quod ipsum hoc in loco confirmat, formam dico non generari, dicens, (Non enim fit ipsum album, sed lignum album.) id est, lignum albescit, album autem indiuiduo momento ingeneratur. Quoniam igitur aliqua sine generatione sunt, ac rursus absque interitu non sunt, omne autem quod fit, ex aliquo fit, & aliquid efficitur, album scilicet, vel homo, profecto; non omnia contraria ex se mutuo fiunt, sed aliter homo albus efficitur ex homine nigro, aliter album ex nigro, quoniam homo albus ex homine nigro efficitur vt ex materia, album vero ex nigro, vt hoc post illud, quemadmodum cœna post prandium. Sed neq; omnis rei materia est, sed earum tantum quibus est mutua alterius in alteram mutatio. Nam quæ sine mutatione & sunt & non sunt, vt contactus, horum non est materia.

Defectus
lunæ causa.

In somno
quod primum
sit quod patitur.

Quorū habeatur
materia, &
quorum
sensus.

Existit autem dubitatio, quomodo cuiusque materies sese habet ad diuersa contraria, ceu si corpus potentia sanum est, & morbus est contrarium sanitati, est ne vtrunq; potentia, & item aqua potentia vinum, atque acetum, an alterius quidem habitu formaque materies est, alterius autem priuatione corruptioneue præter naturam. Dubitatio insuper quædam emergit, & cur vinum non est aceti materies, neque potentia acetum, & tamen fit ex ipso acetum: & is qui viuunt, potentia cadauer simili modo. An ita non est, sed per accidens sunt ipsæ corruptiones? Animalis enim ipsa materia per corruptionem potentia est cadaueris, materiesve, & aceti similiter aqua. Fiunt enim ex hisce perinde atque ex die fit nox. Et quæ igitur hoc pacto mutationem

mutuam subeunt, ea redeant in materiam ipsam oportet: veluti si ex cadauere animal oriatur, primum in materiam cadauer resoluatur oportet, deinde hoc pacto fiet. acetum identidem resoluatur in aquam, deinde vinum oriatur oportet.

Existit autem dubitatio quomodo cuiusque materies sese habet ad diuersa contraria.) Cum valitudo & morbus contraria sint, sitque corpus facultate sanum, vtrum, inquit, potentia quoque aegrotum est? & aqua facultate vinum & acetum? & percontatus responder, dicens, (An alterius habitu formaque materies est) id est, vtrum corpus valitudinis est materia vt habitus & forma, morbi autem vt priuationis, & interitus praeternaturalis? Similiter aqua materia est vini vt forma, acetum vt priuationis? (Sed dubitatio, inquit, quaedam emergit, cur vinum non est acetum materies? neque est potentia acetum? & tamen fit ex ipso acetum.) Ex vino enim acetum efficitur. Item viuens cur non est potentia mortuus? & est materia mortui? & soluit quaestionem, dicens, (An ita non est, sed per accidens sunt ipsae corruptiones.) est autem sensus, neque vinum est acetum materia, neque viuens mortui, sed per accidens sunt interitus. Interitus porro vocat deteriores formas: quae viuentis ad se materiam habent, formas potiores. Animalis enim materia per interitum & priuationem materia est & potentia mortui, non autem ipsum animal. Nam vt animal mortui materia esse dicatur, materia causa est, quae in ipso habetur. Nam quia materia animalis potest mortui effici materia, idcirco ex accideri dicitur materia mortui. Cui similis est ratio in vino. Quia enim aqua, quae vini materia est, potest esse acetum materia, ideo vinum ex accideri acetum materiam esse dicimus. Nam vt ex die nox efficitur, non tamen dies noctis est materia, sic ex animali mortuus, & ex vino acetum. Si vero, inquit, ex mortuo debeat animal generari, mortuus in quatuor elementa resoluatur, & sic ex ipsis nascetur animal, & pari ratione acetum in aquam quae materia vini est, & sic vinum generabitur.

Aqua, vini materia.
Vinum, acetum materia.

De dubitatione autem iam dicta circa definitiones ac numeros, quanam sit causa vt sint vnum, deinceps dicendum esse videtur. Est enim profecto causa quaedam, vt id omne sit vnum, quod plures partes habet, & non est vniuersum vt cumulus, sed est quid ipsum totum praeter partes ex quibus constat. Nam & corporum quibusdam tactus, quibusdam viscositas, aut aliquid aliud simile causa est vt sint vna. Definitio autem oratio est vna, non coniunctione vt Ilias, sed quia vnius est. Quid igitur est quod facit hominem vnum? Et cur vnum est, sed non multa, animal atque bipes, praesertim si sit, vt quidam inquirunt, ipsum quid animal, ipsumque bipes? Cur enim homo non est illa ipsa? Atque erunt homines non hominis vnius participatione, sed duorum, animalis inquam & bipedis? & homo omnino non erit vnum, sed plura, animal atque bipes? Patet igitur eos qui definire dicereque solent, reddere non posse atque soluere dubitationem. Si vero sit, vti dicimus, vnum vt materia, alterum vt forma, & alterum potentia, alterum actu: nulla id quod quaeritur dubitatio videbitur esse. Est enim haec dubitatio eadem & si vestimenti definitio rotundum aes erit. hoc enim nomen signum huius erit orationis. Quare id quod quaeritur, est, quanam est causa vt aes atque rotundum sit vnum. Non igitur dubitatio vltius esse videbitur, propterea quod alterum est materia, alterum forma. Quid igitur huius causa, vt id quod erat potentia, sit actu, praeter id quod fecit, in quibus est generatio? Nulla est enim alia causa, vt ea quae potentia erat sphaera, sit actu sphaera, sed hoc erat quidditas vtriusque. Est autem materies alia sensibilis, alia intelligibilis, & rationis semper pars est materia, pars actus, ceu circulus figura est plana.

De dubitatione autem iam dicta circa definitiones quae sit causa vt sint vnum.) In libro superiore hanc quaestionem proposuerat, & insolutam reliquerat, & in hoc rursus eiusdem mentionem fecit, nihil magis explicata solutione. quare quaestionem bis propositam, solutam vero nunquam, hoc in loco soluit. Est autem quaestio, cum definitiones ex pluribus consistant, quidnam est quod haec vnit, atque efficit vnum? Merito enim quaeratur aliquis, quid est quod animal & pedestre & bipes efficit vnum? Nam quaecumque partes complures habent, neque sunt omne vt aceruus, sed continuum & totum a partibus diuersum (totum enim diuersum est a singulis suis partibus) horum, inquit, aliqua causa est vt vnum sint. hoc enim in dictione desideratur. Nam vt in corporibus quibusdam contactus causa est vt vnum sint, alijs vero tenacitas (vt enim viscus vnum sit, nec dissoluatur aut diffuatur more terrae vel aquae, tenacitas est in causa) sic definitio cum sit vna, non vinculo vt Ilias, sed quia vnius cuiuspiam est, quidnam est id a quo efficitur vnum, & ipsa, & id cuius est definitio: & per quod non plura sunt animal pedestre & bipes, praesertim, inquit, si vt aiunt doctores idearum, est ipsa animal, & ipsi bipes: quid est id a quo haec vniuntur, ac vnum fiunt? Ipse vero cum dixisset, praesertim si sit ipsa animal & ipsi bipes, subiecit, cur enim ipsi homo non est illa? & quae sequuntur, vt sit interrogatio per concessionem, quasi dicat. At si

Definitio,
& id cuius
est definitio
quomodo
sint vnum

nequeunt explicare quo fiant vnum ipsi animal, & ipsi bipes, cur ipsi homo non erit hæc? & sic homines nostrates, erunt participatione non hominis vnus, id est, erunt participatione non ab ipso homine. Ipse animal enim & ipse bipes inter se distincta sunt: quæ si vnita essent, ipse homo perficeretur ex ipsis, & sic fieret vt homines nostrates participatione ipsi hominis essent. cū autem discreta sint, & ponatur hæc eo modo ipse hominem constituere, homines erunt non participatione vnus cuiuspiam hominis, sed duorum, hoc est animalis & bipedis. & sic homo non erit vnus, sed plura, animal scilicet & bipes. quid est ergo id a quo hæc vniuntur? Sic igitur concedēdo, vt puto, percontatus, perspicuum esse ait, quæstionē solui non posse ex ijs quæ definiunt ac statuūt de definitionibus, qui participationes quasdam, & nescio quæ alia comminiscuntur. At si, vt nos asserimus, omnia ex materia & forma consistunt, & hoc est potestate atque materia, illud actū & forma, quæstio nullam habeat dubitationem. Cui enim dubium esse potest, propter quid æs, & forma globi, quæ in ipso habetur, est vnum? Nam si forma ipsa separatim per se esset, vt idearum assertoribus placet, & similiter materia, tunc re vera dubium esset, a quo, quæ separata sunt, & per se, vniuntur. Nunc cum forma non sit per se in subsistentia, sed materia, exempli gratia ære, ab artifice mouēda sine tempore ingenere tur, hoc quam potest habere dubitationem, a quo hæc vniuntur, & fiāt vnum? (Est enim, inquit, hæc dubitatio eadem, ac si vestimenti definitio sit æs rotundum.) Est autem sensus, si quis æneo globo imponat nomen vestimentum, & tunc definiēs dicat, vestimentum est æs rotundum. Nam vestimentum nomen significare potest æs rotundum: vt nomen homo significat animal pedestre bipes. Quæstio igitur quæ petit a quo animal pedestre bipes vnum fiat, eadem est atq; ea quæ inquit, quid est id quod æs globosum vnum efficit. nec difficultatem habere videtur. alterum enim, id est animal pedestre, est materia: alterum vero forma, videlicet bipes. Item æs materia est, rotundum vero forma. Nihil est igitur aliud causa efficiens vnum, nisi causa efficiens in ijs in quibus est generatio. Quod ergo materia quæ potestate erat hoc aliquid, efficit vt esset actū, id quod erat potentia, exempli gratia æs, quod potentia erat globus, vt actū globus fieret, est artifex, & nihil aliud. Quin vt materia quæ potentia erat animal, actū animal fieret, nullam aliam causam nouimus, quàm ipsam naturam quæ ipsam sic effinxit & alterauit. At si forma esset per se, quomodo cum materia vniiri posset, ne intelligi quidem potest omnino. Sed cum dixisset nihil aliud esse causam, vt quod potentia globus erat, actū globus fieret, adiecit. (Sed hoc erat quiditas vtriusq;.) vtrunq; dicens hominem & globum, de quibus mentionem proxime fecerat. hoc autem est quod ait, sed hoc erat quiditas vtriusq;, id est hominis quiditas est animal pedestre bipes, globi autem talis figura. Vel igitur hoc dicit cum ait (Sed hoc erat quiditas vtriusq;) vel vtriusq; quiditatem esse actum. Actus enim materiæ, quæ potentia est globus, est globi quiditas: & materiæ quæ potentia est animal, actus, est animalis quiditas. At si materiæ actus est ipsa quiditas, non decet ignorare, materiam aliam esse intelligibilem, aliam sensibilem. Nam cum genera sint æmula materiæ, animal materia est intelligibilis, & materia formæ, caro autem & ossa materia sensibilis: ac vicissim figura materia intelligibilis, æs autem sensibilis. Cæterum figura est materia rationis & formæ, æs autem compositi ex ære & tali figura, vt ossa & nerui hominis compositi.

Vnū vt res
fiāt, causæ.

Quæ vero neq; intelligibilem, neq; sensibilem materiam habēt, eorum vnumquodque continuo vnum quid proprie est, quemadmodum & ens quid proprie, substantia inquam, qualitas, quantitas: atq; non sunt in eo quod est, & in vno tanquam in genere. Idcirco & in definitionibus nec id quod est, nec ipsum vnum accipitur: quiditasque vnum quid est continuo, quemadmodum & quippiam ens. Quapropter & nihil aliud est causa, vt vnumquodq; istorum sit vnum, aut etiam ens. Continuo enim vnumquodque istorum, & vnum quid, & ens quid etiam est: non tamen a singularibus separabilia sunt. Propter hanc autem dubitationem quidam participationem causam vnitatis inquirunt esse: sed quænam sit participationis causa, & quid sit particeps esse, dubitare videntur. Quidam animæ copulationē, vt Lycophron scientiam, copulationē sciendi atq; animæ esse dicebat. Quidam ipsum viuere, compositionem aut coniunctionem animæ in corpore esse censent, & tamen eadem in vniuersis est ratio. Valere enim, aut copulatio, aut coniunctio, aut cōpositio animæ aut validudinis erit. Et æs esse triangulū, æris atq; trianguli compositio: & albū itidem esse, superficiē compositio atq; albedinis. Hæc autē propterea dicūt, quod rationē vnitatis effectricē potentiæ atq; actus, & differentiā quærūt. Est autem, vt dictū est, vltima materia formaq; idem, & alterū potentia, alterum actū. Quare simile est quærere quidnā sit ipse vnus causa, & vt sit etiā vnus. Est enim vnus quodque quid vnum, & id quod est potentia vnum, & id quod est actū, vnum aliquo modo sunt. Quare nulla est alia causa præter eam quæ ad actum ex potentia mouit. Quæ autem expertia materiæ sunt, ea proprie vnum quid sunt, & proprie ens quid vniuersa.

Genera ne
q; intelli
gibilem neq;
sensibilem
materiã ha
bent.

Cópositio
quorũ esse
dicatur.

Quæ vero neq; intelligibilem, neq; sensibilem materiã habent.) Facta iterum mentione de materia, neq; id temere, sed vt de decem prædicamentis disputaret, præfatus materiã aliam intelligibilem, aliam sensibilem esse, ait: quæ vero neq; intelligibile, neq; sensibilem materiã habent, eorum quodq; vnum quiddam est, & simpliciter vnũ, atq; proprie vnum, quemadmodũ ens. Cætera enim singula quæ constant ex materia & forma, propter suã continentia vnum dicuntur. quæ vero materia tum sensibili tum intelligibili vacant, simpliciter vnum sunt. Quæ si materiã haberent, vnum essent propter continentia, vt quæ ex materia & forma consistunt. nunc cũ non sint in materia, sed eius expertia nudaq; sint, simpliciter ac proprie vnũ sunt. quæ porro sint quæ neq; sensibile neq; intelligibilem materiã habent, exponit, hoc, id est substantia, quale, quantum. his autem ne intelligibilem quidem materiã suppetere certum est. Nam cum genera materiã intelligibilem esse dicamus, horũ autem nullũ sit genus (sunt enim genera generalissima, nec est vlla natura a qua superetur) haud dubie illis non suppetit materia intelligibilis. Sed neq; sensibilis. Materia enim sensibilis compositorũ est, & sensibilem, non simpliciu & intelligibilem. Hæc autẽ, id est hoc, & quantum atq; quale, & reliqua, materia vacant, & intelligibilia sunt: quanq̃ cum talia sint, non tamen separari possunt, vt ipsi substantia, & ipsi quale, sed in sensibilibus ac singulis habentur. Neq; vero quoniã sunt in singulis, idcirco materiã habere putari debent. Nam etsi substantia hæc materiã habet, & subiectum hoc, tamen substantia simpliciter materia caret, quippe quæ in incorporeis, & materiæ expertibus reperitur. Ac sensum quidem horũ verborum huiusmodi esse puto. Dicitio autẽ per excessum legenda est ad hunc modum: (quæ vero neq; intelligibile, neq; sensibilem materiã habent, eorum vnum quodq; cõtinuo vnum quid proprie est, quemadmodũ & ens quid proprie, hoc inquam, quale & quantum) deinde (atq; nõ sunt in ente & in vno tanq̃ in genere.) tum (idcirco in definitionibus neq; ens neq; vnũ) & quæ sequuntur vsq; ad illud (continuo enim vnũ quodq; istorũ vnum quid & ens quid est) & sic illud (non tamen a singularibus separabilia sunt.) Sed licet hoc, inquit, & quale, atq; quantum sit ens quid & vnum quid, tamẽ neq; ens, neq; vnum ipsorum est genus, cum ipsa genera generalissima sint. Sed ens & vnum de ipsis, vt sæpe dictũ est, prædicantur, vt quæ ab vno, & ad vnum dicuntur. Et quoniã neq; ens, neq; vnum ipsorum est genus, idcirco non sumitur in ipsorum definitionibus. quo in loco descriptiones appellat definitiones. Nam definitiones ex generibus cõstãt, & differentijs, horũ autem nulla sunt genera, quare ne definitiones quidem. Estq; substantiæ & quanti ac cæterorum quiditas statim vnũ quiddam esse, & quoddam ens: quare, id est, quia ipsorum quiditas est, quoddam vnum, & quoddam ens, nõ est alia causa horum cuiusdam vt vnum sint, atq; ens. Nã si ens vel vnum genus esset substantiæ, vel quanti, vt animal est hominis genus, nimirum aliqua causa esset vt ipsa vnum sint, atq; ens. Cum autẽ statim ens quiddam, & quiddam vnum sint, nulla causa est vt sint vnum, vel ens. Sed quanquam substantia, quale & quantum, talia sint, tamen non possunt a sensibilibus separari, sed in ipsis sunt. His explicatis rursus ad priora reuertitur, dicens. (Propter hanc autem dubitationem) quæ scilicet inquit quæ causa est vt animal pedestre bipes vnum sit? (quidam participationẽ dicunt) vt Plato, qui participatione idearum nostratia esse tradebat. (Sed quænam sit participationis causa, ac omnino quid sit particeps esse) & quomodo fieri hoc possit, dubitant, nec explicate valent. (Quidam, inquit, animæ copulationem, vt Lycophon sophista, qui scientiam esse dicebat ipsius scire atq; animæ.) scriptura tamen aperior esset, si se ad hunc modum haberet, scientiam esse copulam ipsius scire atq; animæ. Rogatus enim Lycophon, quid est causæ cur scientia & anima vnũ sit, respondebat, copula. Alij vero viuere vinculum esse dicebant animæ in corpore. At hoc, inquit, in omnibus similiter dici posset. Nam si quis me interroget, quid est causæ cur superficies & album vnum sint, in promptu erit respondere, vinculum albi atque corporis. beneuolendi autem vinculum vel copula siue compositio animæ atq; valetudinis. At hoc ridiculũ est. Nam compositio eorum esse dicitur, quæ prius actu separata erant, deinde fuerunt composita, vt fit in mulso. Valetudo autem, quæ per se ac separatim non est, quomodo potest cum anima componi? Illud enim stultum est, triangulum æneum, æris ac trianguli compositionem esse dicere, cum triangulus esse per se nequeat, neq; cum ære componi: quin potius ære sic mouendo efficitur triangulus. Causa vero, inquit, cur hæc dicunt, est, quoniam inquirentes causam quæ æs quod erat facultate triangulus, effecit actu triangulum, nesciebant rationem vnientem reddere, id est causam & differentiam cur vnum sint. Si enim reperire ac explicare potuissent rationem & causam vnitatis effectricem, id est vnientem id quod erat potentia, siue materiã & actum, hoc est formam, nunquam in hunc errorem deflexissent. Sed, vt sæpe dictum est, materia vltima, id est proxima (hanc enim nunc appellat vltimam) atq; forma vnum sunt. Ita vt hæc vnum sint, non est alia causa, quàm ea quæ materiã ex potentia in actum mouet. Quæ vero materia vacant, vt dictum est, ea singula simpliciter & proprie vnum atq; ens sunt. Quo in loco diuinum viri huius artificium admirari licet, quo a posterioribus (neque enim aliter hoc fieri posset) nobisque notis viam ad Deum optimum maximum ac omnium parentem & conditorem cognoscendum nobis cum ratione aperit, docens, vt faber ærarius causa est vt æs & globus vnum sit, sic facultatem vntricem ipsius ac effectricem causam esse rerum omnium, vt sic habeant quemadmodum sese habent.

Finis libri septimi, Octauo Latinis